

T5

*Elegie I, 10*  
**Consigli amorosi**

**Metro:**  
 distico elegiaco

- 1 O iucunda quies, primo cum testis amori  
 affueram vestris conscius in lacrimis!  
 O noctem meminisse mihi iucunda voluptas,  
 o quotiens votis illa vocanda meis,  
 5   cum te complexa morientem, Galle, puella  
 vidimus et longa ducere verba mora!  
 Quamvis labentis premeret mihi somnus ocellos  
 et mediis caelo Luna ruberet equis,  
 non tamen a vestro potui secedere lusu:  
 10   tantus in alternis vocibus ardor erat.  
 Sed quoniam non es veritus concredere nobis,  
 accipe commissae munera laetitiae:  
 non solum vestros didici reticere dolores,  
 est quiddam in nobis maius, amice, fide.  
 15 Possum ego diversos iterum coniungere amantes,  
 et dominae tardas possum aperire fores;  
 et possum alterius curas sanare recentis,  
 nec levis in verbis est medicina meis.  
 Cynthia me docuit, semper quae cuique petenda  
 20   quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor.  
 Tu cave ne tristi cupias pugnare puellae,  
 neve superba loqui, neve tacere diu;  
 neu, si quid petiit, ingrata fronte negaris,  
 neu tibi pro vano verba benigna cadant.  
 25 Irritata venit, quando contemnitur illa,  
 nec meminit iustas ponere laesa minas:  
 at quo sis humilis magis et subiectus amori,  
 hoc magis effectu saepe fruare bono.  
 Is poterit felix una remanere puella,  
 30   qui numquam vacuo pectore liber erit.